

XXVII. Cæterùm si Revelationes quædam sese offerant de aliis rebus, quæ homini cuidam, vel universæ Ecclesiæ, ut compleantur vetera vaticinia, peculiariter sunt eventuræ? vel si de bono quodam anteà nobis incognito admoneamus, & quæ sunt similia in talibus quidem rebus non penitus negamus, quòd Deus, quamvis ordinariè non amplius nobiscum per immediatas revelationes agere velit, neq; tales petere & expectare jubeat; ex sanctis tamen & nobis ignotis rationibus adhuc possit ejusmodi extraordinariè concedere. Sed tamen dicimus, eas, quia falsæ à veris difficillimè dignoscuntur, ideoq; quæ obveniunt, periculose haud raro & perniciose existunt, non statim pro divinis esse habendas, aut æquiparandas illis, quæ ante constitutum canonem in N. Test. Apostolis aliquis fidelibus contigerunt, sed potius probandas, nùm ex Deo sint. Hoc enim vult S. Johannes, quando I. epist. IV. 1. dicit: *Probando Spiritus.* Hoc itidem vult Apostolus Paulus, *ut omnia probemus, quòd bonum est, retinemus,* I. Thess. IV, 21. ne diabolus, qui saepius in Angelum lucis se transformat, nos decipiat, & in animæ pariter ac corporis discrimen nos adducat. Cantè igitur & prudenter hæc semper sunt considerandæ, præsertim his nostris temporibus, de quibus Christus jam dudum Matib. XXIV. 24. prædixit: *Excitaturos Pseudophropetas & edituros signa magna, ita ut seducant, (si fieri possit) etiam electos.* Quod quidem monitum benè observari oportet, ne seducamus, aut ab ordinariâ Christi viâ ad novarum revelationum semitas nos deduci patiamur, neque etiam verbis eorum, licet primâ fronte ad pietatem, pœnitentiam, & morum commutationem hortari nos videantur, statim assensum præbeamus, sed ut firmiter adhæreamus effato illi Petrino, II. ep. I. 19. *Habemus firmissimum illum sermonem propheticum, ad quem benefacit, quod attenditis, velut lucernam splendentem in obscuro loco, usq; dum dies illuxerit, & lucifer exoriatur in cordibus vestris.* Atque hoc etiam contenti sumus. Nunc verò colophonem huic nostro exercitio imponentes, Deum Triunum supplici rogamus prece, velit ipse nos in veritate suā constanter conservare, ac per eandem omnes ac singulos salvare, cui Soli sit Honor,

Laus & Gloria in Secula Seculorum. Amen!

N. J. O. P.
Coll. diss. A 4, misc. 18